



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque  
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac  
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico  
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

**Sfondrati, Celestino**

**[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.**

10. Mandatum Episcopi Apamiensis contra Regalistas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38277**

## Documentum X.

Mandatum D. Episcopi Apamiensis, quo declarat nuper à se editas Constitutiones contra Regalistas, non obstante sententiâ D. Archiepiscopi Tholosani, executioni dandas esse.

Die 27. Octob. Anno 1677.

**F**Ranciscus miseratione Divinâ Episcopus Apamiensis, Charissimis & Dilectissimis Fratribus Ecclesiarum Cathedralis & Collegiatæ Dominæ nostræ de Campo, Canonicis, Archipresbyteris, Rectoribus, Vicarijs, aliisque Personis Ecclesiasticis Salutem & Benedictionem. Intelleximus, quòd non obstante inhibitione sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ, contra Fratrem Joannem Franciscum le Juge (qui se Sacerdotem ac Religiosum Ordinis S. Augustini Professum nominari facit, præterdique Canonicatum, ac Eleemosynarij officium in Ecclesia nostra Cathedrali, titulo Regaliæ) à nobis edita, ne se in prædicti Canonicatûs, ac Eleemosynarij officia, eorûmq; possessionem virtute Regij Chirographi ingerere præsumeret, eique insuper intimari fecerimus, nos interim omnia Juris media parare, ac experiri velle, quibus præfensa sententia D. Archiepiscopi Tholosani Constitutionem nostram die 28. Aprilis nullam pronuntiantis, pro irrita cassaque declaretur: imò quamvis de nullitate hujusmodi assertæ Tholosanæ sententiæ, tam quoad formam, quàm quoad ipsam substantiam, aliàs evidenter constet. Quoad formam quidem, quia nobis nec auditis, imò ne citatis quidem pronuntiata est, in eaque declaratur, Constitutionem nostram præfatham legibus Regni contrariam esse; quod de-

clarari



clarari ab eodem D. Archiepiscopo non potuit, cum limites  
 ejus potestatis excedat. Quoad substantiam verò, quia  
 non licuit eidem D. Archiepiscopo Constitutionem revo-  
 care, aut irritam pronuntiare, quæ nihil aliud, quàm me-  
 ra executio fuit Generalis Concilij toto Gallia Regno re-  
 cepti, nec non Diplomatis ab Alexandro VII. dati, Regiús-  
 que literis confirmati, ac maximè conformis naturæ ac  
 qualitati Beneficiorum Ecclesiæ nostræ, quæ à primæva In-  
 stitutione, ac fundatione sua Regularis fuit. Et tamen his  
 omnibus non attentis præfatus Le Juge non omisit præfa-  
 torum Beneficiorum possessionem usurpare, cujus exem-  
 plum plures alij imitari forsân possent, eo prætextu, quòd  
 præfata Tholosana sententia, donec per Appellationem  
 ejus effectus suspendatur, vires obtineat, obligetque. Nos  
 igitur ob has similésque causas ordinamus, ut tam dicto Le  
 Juge, quàm alijs omnibus, quorum intererit, intimetur,  
 nos à præfata illa sententia Tholosana legitimè appellasse,  
 eamque Appellationem tam præfato Domino Archiepi-  
 scopo, quàm etiam Tholosano Promotori, vigesimâ sextâ  
 currentis mensis insinuasse, atque ex Tholosana Cancellaria  
 litteras obtinuisse, quibus certi reddebamur, actum  
 Appellationis nostræ tam dicto Le Juge, quàm alijs omni-  
 bus, quibus necesse fuerit, insinuatum iri, ne videlicet  
 ignorantiam prætereendere possint, eoque prætextu immunes  
 se credere, liberósque à Censuris, in Constitutione nostra  
 prolatis, quas sub pœnis ibidem contentis (ob notorios vi-  
 delicet defectus, & nullitates in ea commissas, & alibi  
 fuis à nobis deductas) iterum, quatenus opus fuerit, in-  
 novamus. Inhibemus etiam, iterumque interdiciamus,  
 prout in nostris Constitutionibus die 26. Aprilis, & 23.  
 Octobris, jam inhibuimus, atque interdiximus Capitulis  
 Cache-

Gallia  
 Indicata  
 Ca III  
 223



Cathedralis & Collegiata B. Virginis de Campo Ecclesiarum, ne quemquam obtentu Regaliæ in dicta Beneficia recipiant, installent, &c. sub poena suspensionis ipso facto, &c. Ipsos verò taliter provisos sub poena Excommunicationis ipso facto incurrendæ, &c. Data in Aedibus nostris Episcopalibus die 27. Octob. Anno 1677.

Franciscus Episcopus Apamiensis.

*Notandum est, Anno 1677, die 22. Octob. similem ferè Constitutionem à Reverendissimo & Illustrissimo Episcopo Alectensium edictam fuisse, contra sententiam Officialis Metropolitanani Narbonensis, qui ejusdem Episcopi Mandata, Constitutiones, ac Censuras contra Magistrum Petrum Gaston irritas declaraverat.*

## Documentum XI.

Epistola Episcopi Alectensis ad Regem  
Christianissimum.

25. Octob. 1677.

Mihi ultima vitæ meæ momenta numeranti, & quid faciendum supersit, ut Divino Tribunali securus sistar, animo repetenti, occurrit illa Christi Domini nostri sententia, quâ jubemur: *Prusquam Sacrificium ad Altare offeramus, fratri nostro, qui aliquid adversum nos habet, reconciliari.* Cum ergo jam tempus accedat, ultimum Sacrificium, hoc est, vitam meam Deo immolandi, credidi necessitatem mihi præcipuè incumbere, placandi animum Majest. Vestræ. Quam ab aliquo jam tempore, ob ea, quæ circa Regaliam contingere, offensam mihi, aversamque experior; tamen possum Majestati Vestræ asseverare, me semper eo sensu animoque